

omnium primam & præcipuam realitatem sc. ⁷⁰
esse a se.

II. quod proinde ens a se ipso omnes excogitabiles
perfectiones possideat. etenim qui includit maxi-
mam perfectionem, videlicet a se existere, ille ut
reliquas omnes in se contineat necesse est, siqui-
dem clarum sit, ut, qui sibi majus largiri potest,
etiam det minus.

III. quod ens a se ipso necessario existat. etenim
quia nil inter ipsius essentiam & existentiam in-
tervenit, cuius ope existat, simul patet, ipsius exi-
istentiam esse de ratione essentiæ, & quoniam ens
a se est perfectissimum ac sufficientem in se ratio-
nem suæ existentiæ continet, non potest vel con-
tingenter vel fortuito sed potius necessario existere.

§. 3. Esse autem Deum ens sibi sufficiens ac
a se existens, vel inde satis firmiter probo, quo-
niam alias nunquam potuisset tot entia produ-
cere, siquidem impossibile sit, ut ille, qui sibi
ipsi esse dare nequit, aliis id largiri possit.

§. 4. Et inde est,

1. quod Deus sibi soli acquiescat, nulla que re extra se
indigeat, quare desiderium de eo prædicari nequit.

2. quod Deus in S. scriptura se vocet יְהוָה, & in re-
spōsione Mosi facta dicat: sum qui sum. i. e. sum
ita perfectus, ut existentiæ meæ ratio sit ego ipse,
non diversa, non separabilis a me ipso.

CAP. III.

DE AETERNITATE DEI.

§. 1.

Quando cogitamus de existentiâ rei prout du-
rat,

D 2

rat,